



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Rvmoldvs Ep. Mart. 1. Iulij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032



S. RVMOLDVS EP. MART. 2. Iulij.

Quid mirum, ô parentes, si quos vobis Deus
tantisper concedit filios, cum lubet, aufert
iterum? Suam ille reperit, & quas vos in liberis
delicias quæritis, amore, si fas est dicere, etiam ille
depe-

deperit. Ita RYMOLDVM Davidis Scotorum Regis filium, non nisi precibus extortum, in tempore sibi iterum vindicavit, Angelo misso, qui juvenem edocuit, quantum aeternatura regna petitis antistarent. Quare RYMOLDVS caelo jam tum oculos circumferens facile sponsam, sceptrum patrium & adeo humana omnia despexit. Sed & Pontificatum Dublinensem, cum patre demortuo ad regni gubernacula abstrahere illum cives vellent, fugam deseruit, iterum ad hoc optimo consiliario Angelo usus. Hoc tam bono Duce Romam, inde in Brabantiam profectus, Adoni Comiti precibus suis apud DEVM filium impetravit, & hunc ipsum, ut bis se RYMOLDO deberet, aquis haustum in vitam restituit. Inter haec dum templum alienam liberalitate, sed suis curis, aedificat, geminae operae consilium viri e medio tollendi ceperunt, opum, quas ingentes penes ipsum credebant, hereditatem patricidio adituri. At tanti sceleris merces fuit nummus tergeminus repertus. Corpus in fluvium abjectum caeleste prodidit lumen, quod omnem ab eo loco noctem fugabat. Extraxere igitur pisces RYMOLDVM mortuum, ingentem tamen vel talem Adoni comiti praedam. Ex Lippeloo.

Expecta quotidie finem vitae, & ad iter illud te para; quia enim hora mimume putas, mandatum afferetur: va autem illis, quos tunc imprudentes opprimet & imparatos. Cordis compunctio est curandis hominum animis medicina. S. Ephrem de Vita spirit.

S. EBERHARDVS EPISC. 1. Julij.

EBERHARDVS gente Bojus, genere Comes. cum e Collegio Bambergensium Canonico-

1212